



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Amor Deiparæ Virginis Mariæ; Petri Antonii Spinelli  
Neapol. Societ. Iesv**

**Spinelli, Pietro Antonio**

**Coloniæ Agrippinæ, 1620**

Praxis eorum, quæ in superioribus capitibus de pietate, ac deuotione, erga  
Virginem Deiparam fusius habe[n]tur, quæ & seorsim ad piorum vsum  
excusa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60948](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60948)

# MEMBRVM

## PRIVS.

- I. *Septem sunt capita, quibus ad deuotionem erga Virginem excitamur, num. 1.*

# MEMBRVM PO-

## STERIVS.

- I. *De animi affectibus, pietatisq; operibus, quibus erga Virginem deuotio excitetur, num. 2.*

# QVATVOR EXER-

## CITIA DEVOTIONIS ER-

### ga Deiparam.

- I. *De oblatione, quam unusquisq; Virgini sanctissima facere potest, num. 5.*
- II. *Ratio commendandi se beatissima Virgini Dei Genitrici Mariae tum mane tum vespere, ibid.*
- III. *De Corolla B. Virginis duodecim salutationum Angelicarum, num. 7.*

8 2

IV. Li-

*Praxis Deuotionis.*

IV. *Litania B. Virginis, quæ singulis die-  
bus Sabbatis, & Festis eiusdem beate  
Mariæ cantantur in sancta & de Lau-  
retana, num. 8.*



T quæ de deuotione  
erga Virginem pluri-  
bus egimus, cuilibet  
facilius ad manum esse  
possint, omittis Patrū  
auctoritatibus, alijsq;  
rationibus, & miraculis, quibus omnia  
confirmare studuimus; ad eam, quæ se-  
quitur, methodum illa redigenda cura-  
uimus. & primum capita, seu rationes  
ponemus, quibus ad deuotionem erga  
Virginem inflammemur, quorum singu-  
la per se alijs seclusis, si magnum à nobis  
erga Deiparam deuotionis affectum ex-  
igunt; quantò ergo maiorem, cum om-  
nia simul in Virginē cumulatissime in-  
ueniantur? Deinde de ijs animi affe-  
ctibus, & actibus, quibus hæc  
deuotio exercetur, a-  
gendum erit.

(\*\*)

MEM.

*Erga Deiparam.*

M E M B R V M

P R I V S.

I.

SEPTEM CAPITA, QVIBVS

*ad deuotionem erga Virginem  
excitamus.*

**P**RIMUM, quia Mater est Christi Domini cui omnia nostra debemus, quam Christus tantoperè honorauit ipse, & ab omnibus vult honorari.

I.

*Secundum*, propter innumera atq; ingentia, quæ in nos Virgo sanctissima contulit beneficia: tum generalis, quæ ad vniuersum hominum genus pertinet præsertim quia Christum, à quo redempti sumus, & quo in sanctissima Eucharistia. pascimur, nobis ex suis visceribus protulit: tum etiam particularia, quæ quilibet se à Virgine accepisse cognoscit; & occulta, quæ ipsi ignoramus, siue cū multa, quæ nos latent, contulit bona, siue cū à multis quæ nobis impendent, periculis seruat.

II.

*Tertium*, propter ea, quæ nos miseri, & egentes ad omne bonum imbecilles, & à

III.

a 3

dæmo-

*Praxis Deuotionis*

dæmone acriter oppugnati à sanctissima Virgine, eius apud Deum patrocinio, ut ad vitam tandem perueniamus æternam in futurum speramus. ipsa enim Mater est misericordiæ, Aduocata nostra, & apud Christum Iudicem omni pollet auctoritate, estq; illi gratissima, nec patitur repulsam.

IV.

*Ioan. 19.*

*Quartum*, quia mater est viuentium, & mater nostra, cui à Christo in cruce in filios traditi sumus in Ioanne illis verbis: *Ecce filius tuus* Cumq; illa in nos matris munera egregiè præstet, nos quib. Christus in Ioanne dixit: *Ecce mater tua*, illam magno affectu velut matrem colere, ac venerari debemus, & quemadmodum Ioannes ex illa hora accepit eam in suam: ita & nos absque mora in intima nostri cordis penetralia per peculiarem deuotionem, ac reuerentiam accipiamus.

V.

*2 Reg. 6.*

*Quintum*, propter spiritualem utilitatem atq; dulcedinem, quam eius deuotio in nostris animis gignit, quibus non secus, ac Dei Arca in domum Obededom (2. Reg. 6.) illata omnem Domini benedictionem affert.

VI.

*Eccle. 24.*

*Sextum*, Virg. deuotio inter præcipua prædestinationis signa cõnumeratur, iuxta illud Eccle. 24. *In electis meis mitte radices*: quare omni studio procuranda.

*Septi-*

*Erga Deiparam.*

Septimum, exemplum sanctorum, qui ab initio nascentis Ecclesie omnes Virginis deuotissimi fuere: *Vulcū enim tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.* Psa. 44. *Psalm. 44*

MEMBRVM POSTERIVS.

II.

DE ANIMI AFFECTIBVS, pietatisq; operibus, quibus erga Virginem deuotio exercetur.

**A**D Virginis deuotionem sex actus erga eam exercendi sunt, scilicet:

1. Amor.
2. Reuerentia.
3. Congratulatio.
4. Fiducia.
5. Imitatio.
6. Obsequia.

Primus actus sit amor sincerissimus, & feruentissimus erga Virginem, qui excitandus est consideratione dictorum capitum, quibus ad deuotionem Virginis inflamari diximus: sed peculiariter, hæc, quæ sequuntur, ad id conducent.

I.  
*Amor erga Deiparam.*

QVINQUE CONSIDERATIONES  
Amorem erga Deiparam  
excitantes.

Luc 1. &

Matth. 1.

Matth. 26

I. **Q**VIA Mater est Christi, quem sola de Spiritu sancto concepit quod si Christum, qui est nostra redemptio, & cibus noster in sanctissima Eucharistia, summè diligimus, post eum ipsius matrem, quæ tantum bonum nobis attulit, diligamus.

2. Quia Virgo sanctissima mater nostra esse dignatur, & munera matris erga nos exercet.

Prou 8.

3. Quia amat nos, & peculiariter suos deuotos, iuxta illud Prou. 8. *Ego diligentes me diligo* Amor autem non nisi amore compensatur.

4. Propter ingentia beneficia, quæ in nos confert, cum sit Mater misericordie, & Aduocata mundi, nosque contra dæmonem iuuet atque tuetur.

5. Propter suam insignem sanctitatem atque præstantiam, qua ab ipso Deo diligitur, quare & à nobis præcipuè est diligenda.

II.  
Reuerētia.

Secundus actus est reuerentia erga Virgine corde, & corpore exhibenda, quam illi debemus.

QVIN.

*Erga Deiparam.*

**QVINQVE CONSIDERATIO-**  
*nes Reuerentiam erga Deiparam*  
*excitantes.*

1. **Q**uia est vera Mater Dei, cui ideo hyperdulæ adoratio tribuitur, & super omnes Angelos, ac sanctos est sublimata.
2. Quia Mater nostra esse dignatur: tali autem matri singularis debetur reuerentia.
3. Cum sit Mater Dei, est Regina, ac Domina omnium: ideoque hoc etiam nomine reuerentiam exigit.
4. Reuerentia excellentiæ, & virtuti debetur: quare Virgo propter suas excellentes, ac heroicas virtutes præ omnibus puris creaturis est honoranda; & ideo *Iudith 15. Gloria Hierusalem, latitia Israel, Iudith. 15. honorificentia populi nostri dicitur.*
5. Si ex Aristot. 1. Rhet. c. 15. honorandi *Aristotel.* sunt ij, qui beneficia præsertim nõ vulgaria dedere, vel dare possunt; quantus honor exhibendus Deiparæ propter beneficia ad salutem animæ & corporis ab ea accepta; & propter ea, quæ ab ipsa speramus: ideo ad eius Imagines, Nomē, Laudes, & similia, humiliter caput inelinamus, preces ad eā flexis genib. fūdamus.



*Praxis Devotionis*

III.  
*Congra-  
tulatio.*

*Tertius actus est Congratulationis, quo intimè Virgini congaudemus, de eius gloria, & de omnib. eius bonis, ac ineffabilib. priuilegijs à Deo ipsi collatis, Deū-que propterea laudemus, ei-que ingentes gratias agamus, quod eam ita euexerit, illique ea dona largitus fuerit; qui actus congratulationis ex amore, quo Virginem prosequimur, oritur.*

IV.  
*Fiducia  
Bernard.*

*Quartus actus est Fiducia, qua post Deum in illa fiduciam nostram colloce-  
mus. & ita Bernard. serm. de Aquæductu.  
Filioli hac peccatorum scala, hac mea ma-  
xima fiducia est, hac tota ratio spei meæ. Ad  
hanc fiduciam excitari possumus, si re-  
cogitemus.*

TRES CONSIDERATIONES

*Fiduciam erga Deiparam ex-  
citantes.*

1. *IPSAM esse Matrem Dei, atque adeo potentissimam ad nos iuuandum.*
2. *Ipsam non solū posse: sed & velle nos iuuare, cū sit Mater misericordiæ, Aduocata, Mediatrix, & Domina nostra, Mater item nostra, & diuinarum gratiarum dispensatrix, quæ omnia si attentè expectantur facile intelligemus illā velle nos iuuare: ac proinde hæc omnia maximam in nobis fiduciam in Deiparam gignent.*
3. *Quia*

*Erga Deiparam.*

3.<sup>o</sup> Quia peculiariter Deus per eam caput serpentis venenari, qui circuit quaerens, quem deuoret, conterendum pronunciauit. *Genes. 3.*

3. *Quintum*, quod ad Virginis deuotionem facit, est praclarissimarum eius virtutum *imitatio*, quae licet non possint omnes hoc scripto erarrari, de quibus *Ambros. lib. 2. de virginibus*; tamen praecipuas indicabimus. *V. Imitatio. Ambros.*

*QUINQUE VIRTUTES DEIPARA Virginis imitatione dignissima.*

1. **S**IT integra, & accurata mandatorum Dei observatio, cauendo ab omnibus peccatis mortalibus, & pro virili parte nostra etiam a venialibus: ipse enim e caelo idem nobis in clamat, quod olim ministris in nuptijs in Cana Galileae, post preces ad filium pro defectu vini factas: *Quodcumque scilicet dixerit vobis facite*, ne precum suarum fructus culpa nostra impediatur. *1. Obedientia. Luc. 2.*

2.<sup>o</sup> Humilitas Virginis profunda; quam respexisse Deus ipsemet in cantico fateretur. *2. Humilitas. Luc 1.*

3.<sup>o</sup> Virginitas, & castitas purissima corde, & corpore. *3. Castitas*

a 6

4. Amor

*Praxis Deuotionis*

*Ioan 19.*  
*4. Chari-*  
*tas.*

4. Amor erga Christum, quem perpetuò vsq; ad crucem est comitata, & post Ascensionem loca Christi memoria clara obibat, sacramq; Eucharistiam quotidie deuotissimè sumebat: quem Christi amorem, & Eucharistiæ sacrosanctæ deuotam, & crebram iuxta nostrum statum sumptionem imitari studeamus.

*s. Religio.*

5. A teneris, cum esset trimula in templo se Deo dicauit, ubi præcipuè orationi vacabat: in tota etiam vita paupertatis castitatis, & obedientiæ, silentij, & aliarum virtutum exempla nobis reliquit, quare qui religiosæ vitæ desiderio tenentur, habent in Virgine, quod imitentur.

**VI.**  
*Obsequia.*

4. *Sextum*, quo ad Virginis deuotionem requiritur, sunt *obsequia*, quibus Virgine colere debemus. & quidem inter obsequia Virgini grata plurima connumerantur: ea verò sunt in Sodalitatem Rosarij cooptari. Habitum paruulum B. Virginis à Carmelo gestare: alicui congregationi B. Virginis nomen dare, & statis diebus ad illam venire, eiusque regulas exactè seruare.

Sed ad particularia veniamus, hæc autem ad tria genera reuocantur.

O B S E -

*Erga Deiparam.*

**OBSEQUIA TRIPLICIA**

*B. Virgini grata.*

1. **S**VNT preces, quibus eam laudamus, & vt nobis auxilietur, inuocamus.
2. **E**a, quæ ad corporis mortificationem pertinent.
3. **Q**uæ ad opera misericordiae corporalis, & spiritualis spectant.

**PRECES, QUÆ IN DEIPARÆ**  
*honorem offerri possunt, septem-  
plices.*

**E**T quod attinet ad preces, & inuoca-  
tionem, animaduertendum, vt **I.**  
preces nostræ Virgini sint gratiores, & *Tria con-  
sideranda  
in preci-  
bus ad  
Deiparam*  
impetrandum efficaciores, curandum.

Primò, vt e corde mundo procedant.

Secundò, vt non oscitanter, & cum a-  
nimi euagatione: sed attentè, & feruenter  
perfoluantur: præstat enim paucas cum  
deuotione, quam sine hac multas reci-  
tare.

Tertidò, quæ semel in honorem Vir-  
ginis proponuntur, non facilè & quauis  
occasione negligenda.

Multa verò sunt, quæ ad hoc caput de  
precibus reuocari possunt, (præter illud,  
a 7 quod

*Praxis Deuotionis*

quod est legere, ac meditari eius vitam, actiones, & virtutes, quod nobis vtilissimum, Virginiq̄ue est acceptissimum; sic enim maiorem erga eam amorem, ac reuerentiam concipiemus, magisq̄ue eam imitari poterimus )

*Primum* est, vt à Sacerdotibus missas de B. Virgine celebrari curemus.

*Secundum*, priuatæ preces, quas quiuis pro sua pietate facere poterit; Nos aliquas commemorabimus, exempli causa.

**SEPTEM GENERA PRI-  
uatarum precum.**

1. **P**RECES illæ, quibus mane, & vesperi nos ei commendemus; cuius exercitij formulam mox ponemus, puncto quarto.
2. Ad pulsum salutationis Angelicæ, qui ter in die dari solet, reuerenter eam salutare, aliosq̄ue si opus erit consilio, & exemplo ad hoc idem faciendum promouere.
3. Ad Virginis nomen pronunciatum, reuerenter caput inclinare.
4. *Officium Ecclesiast.* Cùm è domo progredieris, vel reuerteris, per salutationem Angelicam te, tuaq̄; negotia Virgini commendes, benedictionemq̄ue illo versiculo:

*Nos*

*Erga Deiparam.*

*Nos cum prole pia,*

*Benedicat Virgo Maria. petas.*

5. Gaudia Virginis, quæ in terra habuit, quotidie cum salutatione Angelica recole; eademque ratione eiusdem dolores, & pariter gloriam, qua nunc perfruitur in cælo.

6. Cum aliquam Virginis Imaginem conspexeris.

Cum horologium horarum signum dat.

Cum noctu expergiseris.

Cum aliquid inchoandum vel negotium aliquod tractandum.

B. Virgini  
per salutationem Angelicam te commendes.

7. Sunt etiam hymni, *Ave Maris stella. Officium O Gloriosa Domina. Salve Regina. Magnificat* & in Officio paruo B. Virginis. *Obsacro te Domina. O Intemerata Stabat Mater dolorosa,* & alia, quæ pro opportunitate, & vniuscuiusque deuotione recitari possunt.

*Tertium, Officium, quod vocant par Officium.*  
uum B. Virginis.

*Quartum, Litanæ B. Virginis.*

*Litania.*

*Quintum, Rosarium Virginis, quod tres quinquagenas salutationis Angelicæ præmissæ ad singulas decades oratione Dominica, continet, cuius Confraternitati ascribendum te cura, & ferrum pari-*

*pari-*

*Praxis Deuotionis*

*Rosarij  
utilitates  
quatuor.*

pariter benedicendum : huius Rosarij multiplex est utilitas. *Prima*, Indulgentiæ plurimæ illud recitantibus concessæ. *Secunda*, participatio meritorum huius tã amplæ Confraternitatis per vniuersum orbem diffusæ. *Tertia*, commemoratio præcipuorum vitæ Christi, & Virginis mysteriorum. *Quarta*, repetitio præcipuarum, & dulcissimarum orationum, quæ sunt oratio Dominica, & salutatio Angelica: quare quilibet virginis deuotus Rosarij, vnam saltem quinquagenam quotidie recitare deberet.

*Matth. 6.  
Luc. 1.*

*Corona.*

*Sextum*, Corona B. Virginis, in quam aliqua, quæ de Rosario diximus, conueniunt.

*Corolla*

*Septimum*, Corolla Virginis duodecim constans salutationibus Angelicis, & tribus orationibus Dominicis in memoriã duodecim priuilegiorum, quibus à tribus patronis diuinis Virgo fuit donata, ea formula, quam infra subiiciemus.

**CORPORIS MORTIFICATIONES**  
*in honorem Dei.*

*para.*

**C**IRCA *secundum* de operibus ad corporis mortificationem spectantibus, quæ in honorem Dei paræ fieri possunt.

1. Ic-

*Erga Deiparam.*

1. Ieiunium die Sabbati, & in vigilijs Festorum B. Virginis.
2. Singulis hebdomadis die illo, in quem eo anno incidit festum Annunciationis ieiunare, vel abstinere à carnibus, vel die Mariæ Virginis à Cōstantinopoli: vel die Mercurij Virginis à Carmelo dicato, idem quod de die Annunciationis diximus, facere.
3. S. Franciscus ex S. Bonaventura cap. *Bonavent.* 9. vitæ eius, à festo Apostolorum Petri, & Pauli vsque ad diem Assumptionis, quadragesimam in Virginis honorem faciebat, & deuotissimè ieiunabat: cuius pietatem imitari possumus, etiam si per valetudinem, vel aliud impedimentum ieiunare non liceret, si per illud tempus aliquam ciborum abstinentiam fecerimus.
4. Cilicium, vel cingulum cilicium aliquando gestare.
5. Disciplina se diuerberare.
6. In lecto duro iacere, vel vigilare.
7. Peregrinatio ad Virginem Lauretānam, vel locum alium celebrem Virgini dicarum.
8. Huc spectant in honorem Virginis *Mortifi-* mortificationes internæ cupiditatum, & *cationes* animi passionum, cuiusmodi sunt iracū- *interna.* diæ, superbix; ambitionis, carnis illecebrarum



*Praxis Deuotionis.*

brarum, item alienos defectus æquanimiter tollerare, suos non excusare. Humilitatem, paupertatem omni fastu, & luxu remoto sectari: in operibus vilibus & abiectis strenuè se exercere.

**OPERA MISERICORDIÆ**

*corporalis.*

5 **C**IRCA tertium operum genus, quæ in Virginis honorem fieri possunt opera sunt misericordiæ corporalis, & spiritualis.

1. Eleëmofyna, præsertim cum Virginis nomine petitur, siue fiat erogando pecuniam, siue vestes, siue panem, vel alios cibos.

2. In Hospitalibus, & Xenodochijs ægrotis, & pauperibus ministrare.

3. Visitare eos qui in carcere detinentur.

4. Dotem pauperibus mulieribus assignare, vt in matrimonium collocentur, vel quod melius est vt inter moniales cœnobium ingrediantur.

*Opera misericordiæ corporalis.* 1. Ad opera verò misericordiæ spiritualis pertinet, eos, qui in peccatis sunt, cōfilio, & opera sua ad confessionem sacramentalem inducere.

2. In alijs pietatem erga Virginem instil-

*Erga Desiparam.*

stillare, vt omnes eam agnoscant, ament  
ac reuereantur.

3. Vt Congregationi B. Virginis nomen  
dent.

4. Ad Rosarij recitationem, ad ieiunium  
sabbati, & similia pietatis opera inducere.

5. De Virginis laudibus, & miraculis,  
vbi se offert occasio libenter sermones  
miscere, præsertim sabbato, & festis B.  
Virginis, eiusque priuilegijs.

6. Hoc ipsum Concionatores, qui Vir-  
ginis deuotionem profitentur, in sermo-  
nibus ad populum facere deberent.

7. In singulis festis B. Virginis, omnes  
Virginis deuoti, sed præsertim, qui sunt  
ex Congregatione beatæ Virginis, qui-  
bus cordi esse debet non tantum salus  
propria, sed iuxta suam vocationem, et-  
iam aliorum salus, dicta obsequia erga  
Virginem renouare, seu instaurare & au-  
gere studeant: & aliquem in honorem  
Virginis ad confessionem, & sanctissi-  
mam Eucharistiam, & si fieri poterit et-  
iam ad Cōgregationem adducere. quod,  
vt facilius ex sententia cedat, Virgini  
hoc prius commendent, & ante aliquot  
dies huic operi yacent, imò vniuersam  
familiam, parentes, fratres, sorores, filios  
famulos, famulasque ad pietatem erga  
Virgi-

Virgi-

*Praxis Deuotionis*

Virginem, & dicta in eam obsequia, præfertim ad Sacramentorum frequentiam ad recitationem Rosarij, & Sabbati ieiunium adducet, quod idem cum cognatis, amicis, vicinis, omnibusque quibuscum agunt: præstare deberent, quod maximi apud Deum meriti, Virginiq; gratissimum; & si ad hoc seridò animum applicent, vnicuique facillimum erit.

Deniq; in honorem Virginis quilibet eius Congregationi nomen dare, in eaq; semper assiduus esse curet; præscriptis diebus ad sacram Eucharistiam accedat, aliasque regulas exactè seruet: sic enim occasione Congregationis, & preces, & corporis mortificationes, & opera charitatis erga proximos tum corporalia, tum spiritualia exercebit.

Erga Deiparam.

QUATVOR EXERCITIA DEVOTIONIS ERGA B. Virginem.

I.

DE OBLATIONE QUAM unusquisq; Virgini sanctissima facere potest.

6 **S**ED illud lectorem monitum velim, ut is, qui Virginis devotionem amplecti cupit, semel quasi solemniter coram celebri aliqua Virginis Imagine, cogitatione ad pedes Virginis se statuatur, praesentibus Angelis sanctis Michaële, Gabriële, & Raphaële, atq; Angelo Custode, necnon Sanctis sibi deuotis, praesertim sanctis Ioachimo, & Anna Virginis parentibus, S. Iosepho sponso, S. Ioanne Baptista, S. Ioãne Euangelista, SS. Petro ac Paulo, & Sancto sui nominis, ac Sanctis illius Urbis, Patronis, sibiq; omni affectu Virginem deligat in peculiarem patronam, semetipsum offerat; firmiterq; statuatur, eam impostertum singulariter diligere, reuereri, ipsi de eius bonis gratulari, in ea post Christum suam fiduciam

*Oblatio  
sui ipsius  
Virginis  
facienda.*

*Praxis Deuotionis*

duciam collocare, eam imitari, & aliqua ei obsequia exhibere. videatque in particulari in quibus virtutibus eam imitabitur, & quænam ei obsequia deferret, simulque eam enixè deprecetur, adhibitis dictis Angelis, & Sanctis intercessoribus, ut sui patrocinium suscipere dignetur usque ad horam mortis, qua cum filio suo præset. Poteris autem hanc, vel similem oblationis formulam recitare ex eaque die Virginem peculiari ratione tanquam tuam singularem Dominam, & Aduocatam respicias, & in tuis necessitatibus confidenter ad eam confugas. Quam oblationem quotidie, vel saltem in festis eiusdem Virginis renouare poteris.

**OBLATIO SVI IPSIVS,**  
*beatissimæ Virgini à suis deuotis faciendâ.*

*Oblationis formula.*

**S**ANCTISSIMA Virgo Mater Dei Maria, Ego N. licet vndecumque famulatu tuo indignissimus, fletus tamen benignitate tua admirabili, & impulsus tibi seruiendi desiderio coram Cœlesti Curia vniuersa, te hodie in Dominam, Aduocatam, ac Matrem peculiari ratione cingo, firmiterque statuo, ac propono me tibi ex hoc tempore semper obtemperat-

*Erga Deiparam.*

peraturum, ac fideliter famulaturum, ac-  
que vt ab alijs tibi quoque seruiatur, pro  
viribus meis effecturum: obsecro te igi-  
tur pijsissima Mater per filij tui, quem pro  
me effudit, sanguinem vt me in numerū  
tuorum deuotorum ascribas; in seruum  
perpetuum suscipias; ad sis mihi in actio-  
nibus meis, gratiamque mihi impetres à  
filio tuo, vt ita in omnibus cogitationi-  
bus, verbis, & operibus me geram, nihil  
vt vnquam sim tuos filijque tui oculos  
offensurus: ac memor sis mei, nec me de-  
seras in hora mortis meæ. Amen.

II.

**RATIO COMMENDANDI SE**

*beatissima Virgini Dei Genitri Ma-*

*ria, tum mane, tum*

*vesperi.*

**M**ANE ad beatissimam Virginem, PA-  
TER NOSTER. AVE MARIA, &c. *Ratio cō-*  
Deinde sequens, vel alia precatio. *mendandi*

*O Domina mea sancta Maria, me in*  
*tuam benedictam fidem ac singularē custo-*  
*diam, & in sinum misericordie tue hodie, &*  
*quotidie, & in hora exitus mei, animam*  
*meam, & corpus meum tibi commendo;*  
*omnem spem meam, & consolationem*  
*meam, omnes angustias, & misérias meas,*  
*vitam*

*se Deipa-*

*ra mane.*

*Ex Officio*

*paruo B.*

*Virginis.*

*Praxis Deuotionis*

*vitam, & finem vita mea tibi committo;  
ut per tuam sanctissimam intercessionem,  
& per tua merita omnia mea dirigantur,  
& disponantur opera secundum tuam, tuique  
filij voluntatem, Amen. Sancta Maria  
succurre miseris, iuuua pusillanimes, reuoue  
flebiles, ora pro populo, interueni pro clero,  
intercede pro deuoto famineo sexu, sentiant  
omnes tuum iuuamen quicumque celebrant  
tuam sanctam commemorationem.*

*Verf. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.  
Resp. Ut digni efficiamur promissionibus  
Christi.*

*MARIA Mater gratia,  
Mater misericordia,  
Tu nos ab hoste protege,  
Et hora mortis suscipe.  
Gloria tibi Domine,  
Qui natus est de Virgine,  
Cum Patre, & sancto Spiritu.  
In sempiterna sacula, Amen.*

*Deinde, gratias agam de cun-  
ctis beneficijs tum generalibus, quæ  
cum alijs communia sunt, quod scilicet  
Christum nostrum redemptorẽ genuerit,  
& similibus tum etiam de particula-  
ribus, & occultis, quæ illa mihi à Christo  
impetrauit, præcipuè verò de ijs, quæ  
peculiariter intelligo, me ipsius inter-  
cessione obtinuisse.*

*Secun-*

*Erga Deiparam.*

*Secundo* totum illi me tradam, atque in seruum off:ram, orans vt mei patrocinium tutelamque suscipere, meque suo præsidio munitum ab omnium animæ, tum corporis periculo tueri dignetur.

*Tertio*, aliqua beneficia pro me, ceterisque proximis petam; præsertim, vt mihi à suo filio profundam humilitatem, purissimam castitatem, erga Christum ardentem amorem, & in recto virtutis itinere profectum, ac perseverantiam impetret, & vt ab omni peccato, præsertim mortali efficaciter caueam. Præterea, vt non nihil illius mihi doloris imperiat, quem ex filij cruciatibus cœpit, præparationis etiam, atque ardoris animi scintillam, quo sacram Eucharistiam post Ascensionem Domini nostri sumebat. Denique augmentum deuotionis, & affectus erga eandem sanctissimam Virginem. Hæc autem beneficia per septem eius gaudia, doloresq; totidem peccatâ, quibus est affecta dum viueret. Finem faciam ipsius benedictionem rogando illis verbis:

*Nos cum prole pia,*

*Benedicat Virgo Maria.*

Vesperis ad eandem sanctissimam Virginem. PATER NOSTER. AVE MARIA, &c. *Ratio cõmendandi se vesperi.*

b

OM A



*Praxis Deuotionis*

*Ex Officio  
paruo B.  
Virginis.*

O MARIA Dei Genitrix Virgo gra-  
tiosa omnium desolatorum ad te claman-  
tium consolatrix vera, per illud magnum  
gaudium, quo consolata es, quando cogno-  
uisti Dominum IESUM die tertia à mor-  
tuis impassibilem resurrexisse, sis consolatrix  
anima mea, & apud eundem tuum, ac Dei  
natum unigenitum in die nouissimo, quan-  
do cum anima, & corpore ero resurrectu-  
rus, & de singulis meis factis rationem red-  
diturus, me digneris inuare, ut perpetua  
damnationis sententiam per te pia Mater,  
& Virgo valeam euadere, & cum electis  
Dei omnibus ad aeterna gaudia feliciter  
peruenire. Amen.

Sub tuum praesidium confugimus sancta  
Dei Genitrix, nostras deprecationes ne de-  
spicias in necessitatibus: sed à periculis cum-  
ctis libera nos semper Virgo gloriosa, & be-  
nedicta.

*Maria Mater gratia, vt supra.*

Deinde gratias agere, offerre, & pete-  
re debemus, vt supra.

III. DE

III.

COROLLA B. VIRGINIS

duodecim Salutationum Ange-  
licarum, &c.

**C**OROLLA Virginis, seu par-  
ua Corona in memoriam duo-  
decim Virginis priuilegiorum, duode-  
cim constat salutationibus Angelicis, ter  
repetita Oratione Dominica in hono-  
rem trium diuinarum personarū, à qui-  
bus Virgo sanctissima præ cæteris dota-  
ta est duodecim illis priuilegijs: quæ per  
duodecim stellas, quibus redimitur ca-  
put mulieris amictæ sole, Apoc. 12. signi-  
ficatur. Disponuntur aut hunc in modū,  
vt ante quemlibet quaternarium salu-  
tationū Angelicarum præmittatur Ora-  
tio Dominica, quarum prima in hono-  
rem Patris æterni. Secunda, in honorem  
Filij. Tertia, in honorem Spiritus S. reci-  
tetur. Duodecim porro priuilegia, quæ  
in hac corolla recoli possunt, recensentur  
in Appendice Speculi Exemplorum  
nouissimi editi, quorum aliqua ex Ber-  
nardo sermone Signum magnum de-  
sumpta sunt. Nos ex Appendice illa  
huc ad sensum paucis mutatis exscripsi-  
mus, sunt autem hæc.

Corolla  
B. Virg.

Apoc. 12.

Bernard.

b 2

1. Co-

*Praxis Deotionis.*

- Duodecim B. Virgin. privilegia.*
1. Copiosissima gratia in immaculata Conceptione Virgini collata.
  2. Angelica Salutatio.
  3. Spiritus S. superuentio.
  4. Filij Dei Conceptio.
  5. Virgo fuit sine macula, & virginitatis primiceria.
  6. Sine corruptione foecunda.
  7. Sine grauamine grauida.
  8. Sine dolore puerpera.
  9. Magnanimitas fidei in credendo.
  10. Profunda humilitas in obediendo.
  11. Maxima verbi discretio in loquendo.
  12. Summa perfectio & perseuerantia operis in agendo.

Ceterum privilegia, quae supra in hac Corolla enumerauimus, alio modo distingui possent, ita vt & alia eiusdem Virginis privilegia; immo & praecipua vitae eiusdem mysteria completamur: ideo subiicienda duximus duodecim capita, quae sequuntur, quibus pro cuiusque deuotionis hae eadem Virginis Corolla accommodari possent.

*Alia duodecim B. Virg. privilegiorum series.*

1. Praedestinatio, qua ab aeterno in Matrem Dei est praelecta.
2. Conceptio immaculata ab omni labe originalis peccati.
3. Sanctitas maxima in tota sua vita, qua

*Erga Desiparam.*

qua ex speciali Dei privilegio, ne veniale quidem unquam commisit.

4. Præsentatio in templo, ubi se trimulca Deo consecrauit, atq; in omni genere virtutum se exercuit.

5. Annunciatio ab Angelo, quando filium Dei concepit, & vera Dei Mater est effecta.

6. Partus sine dolore, & perpetua cum filio conuersatio.

7. Virginitas perpetua, virginumque omnium est primiceria.

8. Martyrium cordis, quando doloris gladius in in filij Passione eius animam pertransiit.

9. Gaudia in Christi Resurrectione, Ascensione, & Aduentu Spiritus sancti.

10. Assumptio in cælum, ubi non tantum in anima, sed etiam cum corpore super omnes Angelorum, & Sanctorum choros est exaltata.

11. Regina est Angelorum, & hominum, ac omnium Domina.

12. Aduocata nostra, Mater misericordiae, & cunctorum Mater viuentium.

In fine Corollæ recitetur *Salve Regina*, cum consueta oratione, vel Antiphona sequenti:

*Sancta MARIA succurre miseris, in  
ua pusillanimes, refoue flebiles, ora pro popu-*

*Ex Officio  
paruo B.  
Virginis.*

b 3 lo, in-

*Praxis Deuotionis*

*lo, interueni pro clero, intercede pro deuoto  
fœmineo sexu, sentiant omnes tuum leua-  
men, quicumq; celebrant tuam sanctam cõ-  
memorationem.*

*Ps. Ora pro nobis sancta Dei genitrix.*

*R. Vt digni efficiamur promissionibus  
Christi.*

O R E M V S.

**C**ONCEDE nos famulos tuos quasumus  
Domine perpetua mentis & corporis sa-  
nitate gaudere, & gloriosa beata Maria  
semper Virginis intercessione à presenti libe-  
rari tristitia, & aeterna perfrui latitia. Per  
Dominum nostrum Iesum Christum filium  
tuum, &c.

*Nos cum prole pia benedicat, Virgo Ma-  
ria.*

*Fidelium anima per misericordiam Dei  
requiescant in pace, Amen.*

LITA-

*Erga Deiparam.*

IV.

**LITANIÆ**  
**B. VIRGINIS, QVAE**  
*singulis diebus Sabbatis & Festis*  
*eiusdem Beatissimæ Mariæ*  
*cantantur in sancta eade*  
*Lauretana.*

**K**yrice eleyson.  
Christe eleyson.  
Kyrice eleyson.  
Christe audi nos.  
Christe exaudi nos.

Pater de Cœlis Deus miserere nobis.  
Fili Redemptor mundi Deus miserere  
nobis.

Spiritus sancte Deus miserere nobis.  
Sancta Trinitas vnus Deus miserere  
nobis.

Sancta Maria Ora pro nobis.

Sancta Dei Genitrix ora.

Sancta Virgo Virginum ora.

Mater Christi ora.

Mater diuinæ gratiæ ora.

Mater purissima ora.

Mater castissima ori.

b 4

Mater

*Praxis Deuotionis*

Mater inuiolata	ora.
Mater intemerata	ora.
Mater amabilis	ora.
Mater admirabilis	ora.
Mater Creatoris	ora.
Mater Saluatoris	ora.
Virgo prudentissima	ora.
Virgo veneranda	ora.
Virgo prædicanda	ora.
Virgo potens	ora.
Virgo clemens	ora.
Virgo fidelis	ora.
Speculum iustitiæ	ora.
Sedes sapientiæ	ora.
Causa nostræ lætitiæ	ora.
Vas spirituale	ora.
Vas honorabile	ora.
Vas insigne deuotionis	ora.
Rosa mystica	ora.
Turris Dauidica	ora.
Turris eburnea	ora.
Domus aurea	ora.
Fœderis arca	ora.
Ianua Cœli.	ora.
Stella matutina	ora.
Salus infirmorum	ora.
Refugium peccatorum	ora.
Consolatrix afflictorum	ora.
Auxilium Christianorum	ora.
Regina Angelorum.	ora.
Re-	

*Erga Deiparam.*

Regina Patriarcharum ora.  
Regina Prophetarum ora.  
Regina Apostolorum ora.  
Regina Martyrum ora.  
Regina Confessorum ora.  
Regina Virginum ora.  
Regina Sanctorum omnium ora.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi.

Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi.

Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi.

Miserere nobis.

*V. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.*

*R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

O R E M V S.

**G**RATIAM tuam, qua sumus Domine  
mentibus nostris infunde, ut qui Ange-  
lo nunciante Christi filij tui incarnationem  
cognouimus, per passionem eius. Et crucem  
ad resurrectionis gloriam perducamur. Per  
eundem Christum Dominum nostrum. A-  
men.

FINIS PRAXIS.



